

THESES
PHILOSOPHICÆ

JUXTA MENTEM PERIPATETICORUM PRIN-
CIPIS, AC ANGELICI PRÆCEPTORIS

Ex Logica, & Phyſica Selectæ

ILLUSTRISS. DOMINO ABBATI

D. MUNDILLO URSINO


D I C A T Æ

A CLERICO D.ANTONIO FEULI PROPUGNATÆ

Sub aſſiſtentia

A. R: P. F. THOMÆ MARIA TROISY

Ordinis Prædic. Philoſoph. ac Theolog. Lectoris.





Beneventi in Conventu S. Dominici Die [illegible] *Menſis*
Anno 1710.

Superiorum permiſſu.

ILLUSTRISSIME ABBAS

Philosophicas has Theses, Primos ingenii mei partus in lucem editurus, & ad eas propugnandas, in Physio-Logicorum tantorum arenam, descensurus; Ius, Fasque censui, ne temeritatis nota inurerer, illius patrocinium implorare, qui posset potẽtia eas defendere, nobilitate condecorare; illique illas nuncupare, qui Sophiæ amator, illis magis, magisque adipiscendis accendi posset, meritoque, philosophicæ dici possent, quæ Sophiæ philian ejus pectori succenderent. In quem autem animum intenderem, ut votorum compos fierem, specialis mea ergà te servitus, Illustrissime Abbas, præsidium, & dulce decus nostrum, potentiam clarum, nobilitate conspicuum, Scientiarumque ardore Adolescentem mactè virtute succensum, ob oculos posuit.

Enim verò Quis præsentiùs opem ferre, excellentiùs nobilitatem elargiri, patrociniumque libentiùs præstare valebit, nisi Tu atavis edite regibus, fortibus, claris, nobilibus, Sanctorum sobole, qua non modò Regia, sed & Ecclesia propugnata, immortales Tibi glorias peperere? Quorsum enim Hesperia Fratrem tuum Excellentissimum Ducem tot tantisque, condecoravit fascibus, Teque Ecclesia in hæreditatis Domini partem per Clericatum vocavit, nisi ut Ille mundanam, ecclesiasticam Tu tutantes

Hjerarchiam, totum mundum athlanticis vestris humeris sustentaretis? Illeque Ducum suorum victoriis triumphos Tu Prælatorum tuorum infulis, purpuras novas adderes Quapropter rem conformans nomini, verè Mundillus dici potes, cum ad Evangelicum mundum reparandum natus esse videaris. Et quis Majorum tuorum vestigiis insistens, Eminentissimi Aunguli tui Viri doctissimi ac Sanctissimi Præsulis, collapsæquæ, Sipontinæ Cæsenatensis, Beneventanequæ disciplinæ Vindicis, Reparatorisq; zelantissimi non obscuri Cardinalis; exemplis promotus, magis magisque bonis artibus, Scientiisque adipiscendis ardentior Te, quem in Palladis amorem hæ philosophicæ theses, prò virili, succendant? Si ergò studiis suis cognoscitur puer, (quidam ait) & qualis futurus sit prima rudimenta ostendunt, Quis, ex inclyta indolis tuæ generositate, scientiarumque ardore, non præsentit, quali ornamento, & decori Domui tuæ, Totique Ecclesiæ futurus sis? qui ex incunabulis charismata meliora semper æmulãs domesticæ Excellentiæ Nobilitatique propriam addere, & studuisti, & studes.

Calcaria itaquæ hæc philosophica, Tibi Scientiarum in Studio currenti, addita, ne dedigneris, nuncupatasquæ has tibi Theses, in grati animi specimen, benigno aspice vultu, principium enim Sapientiæ, possidè Sapientiam, quia qui custodit Sapientiam, custodietur ab ea, à qua Studiorum tuorum incrementum implorans, nuncupo tibi Nestoris annos. Vale.

Tuæ Cælsitudinis

Devotissimus Cultor
P. Trosy.

EX

non ità debere fingi, ut illis nullimodè possint Theologica credi, & explicari, & ideò pro principiis rerum naturalium in fieri ponimus materiam, Privationem, & Formam in facto esse verò solum Materia, & Forma omnia componentes.

12. Materia autem prima licet habeat actum metaphisicum per quem distinquitur ab omni eo quod materia non est: non habet tamen propriam existentiam, nec divinitùs eam habere potest priùs, quam habeat formam, & licet per formam existat, non tamen appetit omnes simul habendas, sed præsentibus fruitur, futuras successivè desiderat.

13. Forma quæ est actus primus materiæ aliquando educitur, aliquando non, de materiæ potentia, si enim materialis est, semper educitur, si cœlestis, vel elimentalis, hæc in prima sui productione non fuit educta, sed concreata cum materia (licet potuisset educi): si est spiritualis, ut anima rationalis, nec educitur nec potest educi, sed à solo Deo creatur.

14. Quæcumque verò illa sit quando materiæ unitur per unionem ab utraque distincta unitur licèt totum quod ex utraque coniuncta resultat, ab utraque non distiguatur.

15. Privatio verò quæ est principium per accidens inchoans generationem solum in fieri quando primò non est, tunc principiat illam in actu secundo.

LIBER II.

De Natura, & Causis.

1. NAtura quæ est, principium, & causa motus & quietis ejus in quo est per se, & non secundum accidens convenit toti composito, seù formæ totali, Formæ activè, Materiæ passivè, Animæ rationali, etiam secundum gradum rationalitatis, & Cœlis. Recteque ab ipsa distinquitur violentum, & Ars; cum hæc nec propria virtute, ne instrumentaliter, sed solum applicando activa passivis, naturæ opera efficere possit.

2. Causa, quæ est origo alicuius per modum influxus, seù derivationis, ex qua natum est aliquid consequi, secundum dependentiam in esse; quatruplex est, Materialis, Formalis, Efficiens, Finalis, & licet quæcumque illa sit, semper prior sit intel-

telligenda causato, non tamen quælibet est nobilior illo. Duæ tamen causæ ejusdem generis & ordinis, nec de potentia absoluta Dei possunt eundem producere effectum, sivè divisivè, sivè conjunctim sumptæ, Et substantia creata licet sit causa, non tamẽ est immediatè operativa. Causę autem finalis constitutium est sola bonitas objecti, ejus verò cognitio, est solum conditio sine qua non. Quæcumque verò causa creata, ut causet in actu secundo indiget Dei auxilio præveniente concursu, eam determinantis, ex simultaneo comitem se ei adiungentis.

LIBER III.

De Motu, & Infinito.

MOtus, qui est actus Entis in potentia prout in potentia solum realiter modaliter distinquitur à passione, & actione; quæ si immanens est in agente, si transiens in passo subiectatur; Et licet motus continuus infinitas habeat partes, Infinitum tamen in actu, nec secũdum magnitudinem dari potest etiam de potentia Dei absoluta.

LIBER IV.

De Loco Vacuo, & Tempore.

LOcus intrinsecus, qui constituitur per præsentiam, quam mobile habet ad locum, alius est circcumscriptivus, alius difinituus, alius super naturalis. In uno autem eodemquæ loco circumscriptivo possunt divinitùs plura corpora coadunari, licet idem corpus nec divinitùs possit esse in duplici loco. Vacuum autem si summatur pro loco nullo repleto corpore, licet naturaliter non detur, potest tamen a Deo in duci in rerum naturalitura; si verò pro spacio, seù corpore extenso; nec divinitùs fieri potest, ut sit corpus, & non sit extensum in longum, latum, & profundum. Tempus est numerus motus, secundum priùs, & posterius, & per instans existit non per partes differtque ab Ævvo, & Æternitate, per hoc quod Æternitas mensurat res immutabiles tam secundum substantiam, quam secundum acciden-

tia

tia, tempus verò mensurat mutabilia, & secundum substantiam, & secundum accidentia.

LIBER V.

De Motus Distinctione.

MOtus per se solum ad tria prædicamenta datur ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi, ad cætera verò non; sumit autem motus suam contrarietatem unitatem, & diversitatem specificam à termino a quem non à quo, numericam vero à mobili termino, & tempore: unde nequit idem moveri duobus motibus contrariis.

LIBER VI.

De Compositione Motus, & de Continuo.

IN continuo dantur verè actu indivisibilia tam continuativa, quam terminativa, quæ sunt etiam realia, & positiva, quæ tamen non se solis conflant continuum, sed partibus intermediis, punctis solum connexis, actu, & realiter inter sese distinctis, actuque habentibus veram, & formalem rationem partium. Partes proportionales, quæ reipsa, & formaliter sunt in continuo, non sunt dicendæ actu infinitæ; sed solum in potentia, quia tamen nequit in eis assignari prima aut ultima, quantum est ex hac parte, essent infinitæ in actu nisi obesset modus confusus, & indeterminatus existendi illarum. Res successivæ incipiunt per ultimum non esse, desinunt tamen per primum non esse, quia extrinsecè incipiunt, & desinunt: permanentes verò per primum sui esse incipiunt, perque primum non esse naturaliter desinunt. Viventia, & non viventia habent terminum intrinsecum suæ magnitudinis, ita ut nequeant illum naturaliter excedere, Inanimata tamen terminantur intrinsecè versus parvitatem.

LIBER VII.

De Principio Motus.

REquiritur necessaria distinctio inter movens, & mobile, nequit enim idem per se primo realiter movere se ipsum; unde gravia, & levia moventur a generante, per accidens tamen à removente prohibens, numquam tamen à se ipsis. Et movens efficienter principaliter, ut possit suum effectum producere, necesse est, ut saltem contactu virtuali attingat passum circa quod operatur.

LIBER VIII.

Ex motu circulari infertur Æternitas mundi & primi motoris.

MVndum fuisse ab æterno catholicè substineri nequit neque quantum ad res permanentes neque quantum ad successivas. Permanentia verò licet non fuerint, potuere ab æterno produci, & in æternum Dei beneplacito possunt durare: quandocumque autem inceperint, & quantumcumque durent, optimè Aristotiles ex earum motu arguit cognitonem primi Motoris Vnici, Immobilis, Æterni, Simplicis, & Infiniti, cui per infinita sit gloria seculorum secula Amen.

FINIS.